PRO DOCTORE IOANNE GASPARE DE PERISANZ,

Vtrum Coadiuctores Sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ Cæsaraugustan. sint eligibiles ad officia eiusdem.

ILLVSTRISSIMI DOMINI.

EX eo quod in Capitulo fuit mota quæstio proposita, iussu admodum Illustris D. V. ab eruditissimo Domino Gallan, huius Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ, Canonico Doctorali meritissimo, mihi datum fuit dubium inferius positum, supraque propositum. Si tam grauissimo literatissimoque Capitulo, tantæque dubitationi (in responsione subsequenti) satis non fit, (Voluntas pro facto reputetur, nam in rebus magnis sat cogitasse) defensioni propriæ, professioni alienæ, ac in genij tenuitati mei, condonetur. Desperationis enim speciem saperem, si filius legitimus cum sim (& si indignus) horum veniã sine hæsitatione, & fide firma, a tanta matre, ac agni sponsa non sperarem, cum filij abortibi, nec dum similia verum etiam longe maiora experiantur. Hoc vnum tamen deprecor D. V. vt non lateat ipsam (vt in admodum Illustri Capitulo dixi, quod iterum repeto) electionem actualem alienam esse a desiderio meo, nam libenter renuntiabo illam, toto tempore quo Coadiuctor existam, si alias, capacitas, & habilitas electionis, si ad me bono iure ad inveniatur pertinere, præservetur.

Pro ratione dubitandi.

Videtur dicendum, Coadiutorem non posse eligi ad officium, quod ex dispositione statuti requirit, vt eligendus sit *Capitularis*.

Primo, quia verba statutorum sunt intelligenda proprie, &

 verè

verè, non autem impropriè, & fictè, *ex doctrina Bartholi communiter recepta. in l. omnes populi in 6. quæst. vers. vlterius quæro de iust. & iure*, cum innum, quos iungit *Alderan. Mascard. de statut. interpr. conclus. 2. ex nu.* 111. Vnde concludit *num.* 214. quod si statutum prohibet mulieres portare perlas sub certa pæna, non comprehendet portantes perlas fictas; sed Coadiutor est Canonicus fictus, vt cum multis firmat Barbosa *Canonic. & Dignit. cap. 29. nu. 3. Loter. de re benef. lib. 2. quæst. 25. num. 11. cum seqq.* Ergo statutum iubens Capitularem eligendum, non admitet electionem Coadiutoris.

Et ad hoc propositum sunt valdè notanda verba nostri Canonici, *D. Ludovici Sarabia de iurisdict. adiunc. q. 29. num. 45.* ibi, *ex Sac. Ritu Congreg. & decis. 456 n. 9. p. 1. recentis.* scribit. *Declaratum fuit Canonicorum Coadiutores viventibus Coadiutis non esse habendos pro veris Canonicis, etiam si Coadiutores sint cum futura successione, quia non habent ius in Canonicatu, sed ad Canonicatum, vnde non sunt Capitulares.*

Neque prædictis obstat clausula Bullæ, Coadiutoriæ quæ tribuere videtur Coadiutori, vt inservire valeat officia Coadiuto competentia, nam loquitur de officijs quæ ratione Canonicatus competunt, *Rota apud Peña in Tirasonen. Coadiuto. 27. de Octub. 1600. in recollect. à Franc. 856. num. 4. & decis. 790. num. 4.* In his verò quæ speciali nominatione indigent non admititur Coadiutor, ita *Barb. dict. cap. 29.* qui postquam dixit *n. 31.* quod non potest esse Iudex Apost. seu Delegatus Papæ, vel designari Iudex Sinodalis, & comissionem factam Dignitati non transire in eius Coadiutorem, non solum quando fuit expressum nomen proprium, sed etiam quando nō fuit expressum, *addit. nu. 40. Nec potest exercere officia ad quæ coadiutus electus est; nam in his quæ speciali nominatione competunt Coadiuto non venit Coadiutor, nec eum representat allega Garciam p. 4. c. 5. nu. 88. in addit.*

Hæc doctrina mirificè videtur aptari decisioni præsentis controversiæ, nam in Ecclesia omnes functiones fiunt per Coadiutorem nomine coadiuti; ita vt in his nunquam nominetur Coadiutor taliter vt electio ipsa fiat expresso coadiuti nomine.

Vlterius ad interpretationem statuti (sto quod illa egeret) recurren-

currendum esset ad observantiam subsequtam, & inspiciendum quo iure Capitulum retro in huiusmodi casibus vsum fuerit, *vt ex l. n. interpretatione, l. nam Im-perator de legi.* docet *Alderan. Mascard. de statu. interpr. concl.* 3. *nu.* 41. 42. 43. non reperitur quòd electo Coadiuto exercuerit officium Coadiutor, ergo non est admittendum præcipuè cum novitates non sint de facili admittendæ, vt latissimè *Valenz. cons.* 114. *nu.* 28.

Hæc sunt quæ Capituli iussu breviter congeri pro ratione dubitandi, alij alia congerent quæ ego non sum assequtus.

Responsio ad rationem dubitandi.

Ad primum respondetur. Coadiuctor est Capitularis, vt probabitur ex multis: ergo Coadiuctor est eligibilis.

Probatur 1. Ex praxi Ecclesiæ (quæ est optima legum, & statutorum interpræs) diuturnitate temporum comprobata. Nam nihil certius, & notius, in ea, ex statuto, quam quod requiruntur ad minus quindecim Capitulares, ad Capitulum legitimè conficiendum; sed completo numero quindenario, vno, duobus vel pluribus coadiuctoribus conficitur legitimè Capitulum: ergo coadiuctor est Capitularis etiā ex his, quæ pertinent ad statuta; maior est certa, & per se nota, & probatur ex statuto Ecclesiæ *parte* 4. *cap.* 3. *§. el Dean,* & est vt sequitur: *El Dean, ò Presidente no proponga negocio alguno en Cabildo de gracia, de justicia, ni se trate* [ni] *de termino, no estando presentes, por lo menos quinze Capitulares, so pena de seys ducados para la fabrica, y lo que con menos numero de Capitulares se hiziere, sea de ningun efecto, saluo para hazer algunas notificaciones, q̃ para esto bastara el numero q̃ se requiere de derecho.* Minor verò probatur: Nam inclusis coadiuctoribus, in numero quindenario celebrātur, & perficiūtur capitula, legitimèq; proponūtur negotia, regulātur vota, & à maiori parte resolbūtur, & patet, ex quā plurimis actibus Capitularibus, 2. *Februarij* 1646. fuit habitum Capitulū num. 15. Capitulariū cōprehēso in eo domino Torrero coadiuctore 25. *Nouembris* 1648. Etiam alijs 15. Capitularibus, incluso domino Coello coadiuctore, & 28. *Nouembris etiam eiusdem anni* 1648. *num.* 16. inclusis dominis Martel, & Coello Coadiucto-

 ribus.

ribus. *Et* i. *Februarij* 1649. *num.* 15. incluso domiuo Coello Coadiuctore, *&* 26. *Martij* 1650. *n.* 16. inclusis domino Coello, & Perisanz Coadiuctoribus, & in actibus capitularibus antecentibus, & subsequétibus adinueniétur similia, quam plurima, quod esset longum recensere, in quibus fuerunt confecta, quam plurima iustrumenta actiuè, & pasiuè, ad Capitulum pertinentia, in quibus omnibus indistinctè Coadiuctores habétur, & nominantur Capitulares, legitimè Capitulum facientes, ac celebrantes, ac Dignitates, & Canonici propietarij, (secûs Capituia essent nulla, & falsa, quod est omninò falsum:) ergo Coadiuctores ex statuto sunt Capitulares, ac per consequens eligibiles.

Secundo probatur. Coadiuctoriæ gratia (de qua in præsenti) *Constituit Ioannem Gasparem de Perisanz in Coadiuctorem irreuocabilem, in regimine Canonicatus, & Prebendæ illorumque rerum, & bonorum omnium in spiritualibus, & temporalibus, cum plena, libera, & omnimoda potestate facultate, & authoritate faciendi, dicendi, gerendi, exercēdi, & procurandi, omnia, & singula, quæ ad huiusmodi coadiuctoris officium de Iure, vsu, & consuetudine, aut alias de quomodolibet spectant, & pertinent, ac cum voce, & loco in Capitulo eiusdem Ecclesiæ, ac cum omnibus preheminentijs, gratijs, & officijs, ad Ægidium Petrum quomodo libet spectantibus, & pertinentibus, etiam coniudicum, & adiunctorum, ad instar aliorum Canonicorum, & c.* hæc in Bulla formaliter, & alia, &c. Sed ex eo, quod habet vocem, in Capitulo fit de Capitulo, per ea quæ tradit Felinus, *in cap. cum accessissent num.* 34: ergo coadiuctor est Capitularis, ac per consequæns eligibilis.

Tertio probatur. Canonicus propietarius, non inniciatus Ordine Sacro, non est Capitularis, quia non habet vocem in Capitulo; sed Coadiuctor Ordine Sacro inniciatus habet vocem actiuam, & pasiuam, in Capitulo: ergo coadiuctor est Capitularis, ac per consequæns eligibilis: maior est certa, à Iure, Statuto, & praxi Ecclesiæ; minor vero probatur, ex Garcia de beneficijs 4. *p. cap.* 5. *num.* 87. *&* 136. cum Leone, iu Thesauro, *cap.* 19. *n.* 69. *&* 70. & Rota apud Peña, in vna Salmanticen. coadiuctoriæ 1. *Iulij* 1594. ralata à Gartia vbi supra *num.* 150. & quia magistralis ad casum præsentem ponitur hic, estque tenoris sequentis.

Ad

Ad vltimam difficultatem, & in ordine quintā in hac causa decidendam, an Ioannes coadiutor posset habere vocē actiuam, & passiuam in Capit. tam in rebus ordinarijs, quam in officijs Sede Episcopali vacante, & in iurisdictione de la Valdobla, quam capitulum Salamantinum exercet, & in ferendis suffragijs in prouisionibus Canonicatuū ad Capitulum pertinentium? Domini aff. responderunt inspecta potissimum formula coadiutoriæ, in qua D. Ioannes Baptista Polancus fuerat datus coadiutor Antonio cum plena, & libera, & omnimoda facultote, & potestate, & vt haberet stallum in choro, & vocem in Capitulo, & omnes, & singulas prærogatiuas, & honores intra, & extra Ecclesiam Salamantinam, tanquam ipsius Ecclesiæ Canonicus, cum enim, vt dictum fuit in decisione facta die 20. *Iunij, forma, & verba oadiutoriæ sint attendenda, supradicta erant adeo latè patentia, vt censendum foret coadiutori, ea omnia fuisse concessa quæ coadiuto competebant*, cap. is cui de electione li. 6. *Oldrad.* cōs.44. num. 2. de voce *actiua, & passiua, dubitari non poterat, cum coadiutoria stallum in choro, & vocem in Capitulo indistincte cō cederet*, l. 1. §. generaliter, ff. de leg. præstan. *denique clausula,* omnia, & singula *in coadiutoria posita operabatur, vt coadiutus, posset ea omnia agere, & exercere, quæ poterat coadiutus*, glos. cap. 1. vers. officium de clerico ægrotāte lib. 6. *id verò, quod diceba tur: verba coadiutoriæ recipere interpretationem à iure communi, quo inspecto non potest coadiutor quæcumque competunt coadiuto, Oldrad.* cons.44, n.3. *Anch. de Imola* in a. fi. de clerico ægrotante, *Domini dixerunt procedere, quando verba essent dubia, & ambigua, secus autem esse, cum ex verbis claris, vt in casu proposito, apparet coadiutori ea omnia fuisse concessa, quæ alijs Canonicis competerent*, ex quibus euidenter sequitur, quod coad iutor est capitularis, ac per consequens eligibilis.

Quarto probatur. Ex Castro Palao *tract.* 13. *de beneficijs, pū to* 10. *disp.* 1. *num.* 17. & probat sic. Coadiuctori cōceditur ple na, & omnimoda potestas, &c. Eidem conceduntur omnes per rogatiuæ, &c. Item conceditur, vt habeat vocem, in Capitu lo; sed ex qualibet earum concessione est Capitularis, & eligere, & eligi potest: ergo est Capitularis, & eligibilis.

Nec obstat 1. quod exaduerso dicitur ad probationem suæ

conclusionis, quod verba statutorum sunt intelligenda propie, & non fictê, nam ex hoc nihil concludit contra istam partem, vt patet ex dictis supra in prima probatione nostræ conclusionis. Et cum hoc negatur minor quod Coadiuctor est Canonicus fictus.

Nam 1. respondetur, quod contrarium probatur. Ex Garcia *dicta* 4 *p.cap.*5 *.num.*146. & redit rationem, *Cum in rigore Canonicus fictus non sit, quia nec ius, nec Papa talem fingit*, hæc ille. Nã coadiutori cõcessæ sunt omnes prærogatiuæ coadiucto cõpetentes, vt ex decisione Salmantina supra apposita apparet, Canoniciq; proprietarij tenẽtur inserbire, & ministrare ei, in omnibus functionibus Canonicalibus. Barbos. *de Canon. & Dignit. cap.*29. *nu.*54. & est praxis huius Ecclesiæ: ergo coadiuctor non est Canonicus fictus.

Secundo respondetur. Ex Barbos. *lib.* 3. *de iure Eccles. vniuers. cap.* 3. *num.* 99. *& lib de Canon. & Dignit. cap.* 29. *num.* 54. & Castro Palao *tract.* 13. *disp.* 1. *punto* 10. *num.* 23. coadiutor agit, in Capitulo nomine propio concessione Pontificis, taliter, quod si de interese coadiucti, in illo agatur, non debet ab eo exire, & sic potest dare suffragia coadiucto, idem tenẽt. Sebast. Cæsar. *de Ecclesiastica Hier. disp.* 14. *n.* 12. ~~quod~~ G coadiuctor non est Canonicus fictus.

Tertio respõdetur. Coadiucto excominicato, coadiuctor nõ est excludendus, ab insistentia, in diuinis Officijs, alijsq; muneribus prebendæ, ob excommunicationẽ coadiucti Gartia *dict.* 4. *part. cap.* 5. *num.* 84. & sic decissum fuisse, in vna Salmãticen. Coadiuctoriæ 9. *Iulij*. 1595. in recoletis à nostro Frances 445. *nu.* 3. ex eo quod iure, & nomine propio inserbit Ecclesiæ, ad ea quæ tenetur ratione coadiuctoriæ. Et quod etiam lucratur portionẽ sibi asignatam, tã fructuum quam distributionum, ex ea eadem decis. *num.* 4 *sequenti*,. Idem tenent Castro Palao, vbi suppra *num.* 16. & Barbosa *dicto lib.* 3. *num* 87. & Gonzalez, ab eodem allegato, sibi, vbi suppra *nu.* 123. ac idem Barbosa *de Canon. & Dignit. c.* 29. *n.* 46.

Ad authoritates Sarabiæ, & Barbosæ ex aduerso allegatis, nihil aliud cõcluditur ex eis, nisi quod coadiutores, non sunt proprietarij, quod libenter conceditur, & sic nihil concludit contra

tra

tra istam partem. Quod etsi verum sit, quod nõ habet ius in re in tota præbẽda, falsum est quod non habeat illud in portione sibi assignata iuxta terminos concessionis Apostolicæ.

Nec etiam obstat, ex aduerso dictum, quod clausula *Officijs*, in Bulla gratiæ coadiuctoriæ (de qua in præsenti) apposita debeat intelligi, de officijs, quæ competũt coadiucto ratione Canonicatus, & Præbendæ.

Nam respondetur primo, quod sine tali clausula, *Officijs*, tribiuntur coadiuctori, ut patet ex decisione Salmanticen. coadiutoriæ supra integre posita, & sic non probat intentum.

Nec etiam obstat si obiicias, quod in Ecclesia, munera & officia Canonicorum sunt in duplici differentia, nam quædã sunt communia, vt sunt quæ continentur, 1. *parte statutorum lib.* 1. *cap.* 15. & quod hæc competunt coadiuctori, ratione Canonicatus, & Præbẽdæ, secus vero alia quæ sunt specialia, & continẽntur *in eadem* 1. *parte statutorum cap.* 10. *§ de los Capitulares.*

Nam respondetur 1. quod officia specialia huiusmodi non aliunde competunt coadiucto, nisi à Canonicatu, & Præbenda, vt patet ex decisione Salmanticen. supra posita, quæ continet officia specialia, & distincta â relatis in dicto *cap.* 15. *statutorũ*, vtpote officia, Sede Episcopale vacante, & iurisdictionem de la Valdobla, quæ erant eligibilia, & sic nihil concludit contra istam partem.

Secundo respondetur, Quod coadiuctores sunt in possessione officiorum, quæ continentur *in dicto cap.* 1. *§. de los Capitulares,* (que non sunt de communibus, sed de specialibus) & probatur. Nam coadiutores habent possessionẽ exercendi officia custodis chori, & puntatoris, quæ continentur in officiis specialibus dicti statuti: ergo sunt habiles ad exercenda omnia officia contenta in dicto statuto. Quod custos chori, & puntator pertineant ad statutum, probatur ex §. allegato tenoris sequentis: *De los Capitulares, vno haze oficio de custos chori, otro Apuntador, otro Maestro de Ceremonias, otro Secretario del Cabildo: dos Archiueros, dos Bibliotecarios, y Administradores de las obras pias, y Hospital de la Iglesia, Aniuersarios, Sacristia, Mensa capitular, y comun: tres Depositarios de hazienda; y dos Contadores;* quod coadiutores Canonicorum sint in possessione exercẽ

di

di officia custodis chori,& puntatoris, est per se notum : ergo sunt habiles ad cætera officia eiusdem statuti,cum omnia in eodem statuto pariformiter contineantur,& non sit maior ratio vnius quam alterius.

Nec obstat si dicas,quod custos chori,& puntator, præstantur per turna, cætera vero officia sunt eligibilia scrutinio secreto: Nam respondetur, quod non obstat, quia ex hoc quod præstentur vno,vel altero modo non tollit,quod perteneant ad idé statutum,& cum coadiutoria habeat clausulam *Officijs* specialem, & ex decis. Salmantina constet,quod sine illa conceduntur officia coadiutoribus similia, ergo cum illa, multo melius sunt concedenda: ergo coadiutor nedum est habilis ad officia, verùm etiam habet possesionem de illis,vt dictum est.

Tertio respondetur ratione,& probatur, quod officia specialia sunt concedenda coadiutori. Seclusis Canonicatu,& Præbēda a coadiuto, neque est Canonicus, neque Capitularis: ergo neque eligibilis,ad aliquod officium, (quia alias non est priuilegiatus) ergo omnia competunt coadiuto a Canonicatu,& Præbenda; sed omnia quæ competunt coadiuto a Canonicatu, & Præbenda tribuuntur coadiutori,vt exaduerso fatetur,atq; sine clausula *Officijs* conceduntur officia specialia, (vtpote officij Sede Episcopali vacante,& iurisdictionem de la Valdobla,quæ erant eligibilia) vt patet ex decisione supra posita Salmāticen. in cuius formula non erat apposita clausula *Officijs* : ergo in nostro casu sunt concedenda,maximê cum ex Barbosa *lib.* 3. *de iure Ecclesiast. vniuers. cap.* 10. *num.* 48. *& de Canon. & Dignit.cap.* 29.*num.* 2. Parisio *de resignat. lib.* 7.*quæst.* 20.*num.* 19. Potestas, authoritas,& officium coadiutoriæ pendeat a forma dationis eiusdem,& sic ante omnia inspiciendus est ipsius literarum tenor,at cum coadiutoria (de qua in præsenti) habeat clausulam *Officijs*, (quæ non adinuenitur in formulis adductis â Gonzalez, Garcia, Barbosa, Castro Palao,& aliis:) quod necessario dicendum venit,esse concedenda officia,secus non tribueretur aliquid nouo coadiutori,vt suum sortiatur effectū clausula,*Officijs*,quæ cum sit gratiosa latè interpretanda uenit, vt iuris notum est.

Et minus obstant allegatæ decisione exaduerso apud Peña.

Tirasonen. coadiuctoriæ *die* 25. *Octobris* 1600. in recoletis à nostro Frances, 856. *num.* 4. & 760. etiam *num.* 4. habita 8. *Nouemb.* 1599.

Nam respondetur, quod neque in vno, neque alio *num.* 4. allegatis, imo potius, neque in integris decisionibus, & parte aliqua earumdem fit aliqua mentio de officijs coadiuctoriæ, & quod in num. allegatis solum fit de loco, in quo debeat sedere coadiuctor, vt inspicienti, & legendi clare patebit.

Nec etiã obstat illud quod in his, quæ speciali nominatione indigent, non admititur coadiuctor, quia coadiuctum non repræsentat, & inde sequæretur trãsitus de persona, ad personam.

Nam respondetur 1. Quod obiectio non applicatur casui præsenti, nam procedit, in casu decisionis allegatæ 790. de iubilatione coadiucti, quæ non transibat ad coadiuctorem, quia huiusmodi pribilegium competebat coadiucto, non ratione Canonicatus, & Præbendæ, sed quia acquisitum erat longo, & laborioso serbicio personali, iam præstito, quod de persona, ad personam transire non debebat, quod est diuersum, vt patet in decisione à num. 11. vsq; ad 15. & vltimum.

Secundo respondetur. Quod quidquid sit in alijs, authoritas Barbosæ non apropiatur casui præsenti. Nam verba non sunt intelligenda materialiter, pro, vt in cortice sonant, sed secundũ finem intententũ, & moraliter non potest intelligi; quod electio cadat in personam coadiucti, nisi in personam coadiuctoris, & explicata amfibologia, quam patitur obiecto patefiet nã aliud est eligere personam coadiucti, & aliud est eligere coadiuctoris personam, & sequenti discursu declarabitur.

Electio est actio facultatiba pendens a voluntate elicientis, iuxta axioma philosophi. nihil volitum, quin præcognitum, nihil præcognitum, quin sensatum, sed manifestum, est dominis capitularibus, coadiuctum absentem esse, & futurum, moraliterq; impeditum, & imposibilitatum habitualiter existere, nec dum ad officia exercenda, verum etiam ad residentiam faciendam: ergo dicendum est, quod vota elargita in scrutinio secreto ad officium depositarij data fuerunt à dominis capitularibus cum intentione, vt caderent in personam coadiuctoris habilis, & capacis ex statuto, vti capitularis, vt supra probatum

exi-

exiltit, antecedens est per se notorium, & fuit causa expressa cõcessionis coadiuctoriæ, vt patet ex Bulla; consequentia vero probatur, quia nemo intendit operari moraliter impossibile; atque coadiuctus ex infirmitate habituali est moraliter impossibilitatus, vt dictum est: ergo vota elargita fuerunt, vel elargiẽtur in personam coadiutoris, vt electio habeat locum: ergo nõ trãsit de persona coadiuti, ad personam coadiutoris, cum in istam, & non in illam fuerint elargita, vt patet. Ex quibus sequitur, quod non adaptatur casui præsenti, authoritas Barbosæ, nã procederet, in casu, quod electio fieret, de coadiuto, quæ hic nõ habet locum, cum non intenta fuerit in elargitione votorum â Capitularibus, cum huiusmodi moraliter impossibile, non intẽdãt. Et sic electio hic de coadiutore venit inteligenda iuxta finem intentum à Capitularibus.

Vlterius respõdetur, ad illud quod dicitur de nomine. Quod concluderet, si electio fieret de persona coadiuti, & coadiutor nomine illius inservire velet; at cum hic non fiat, nisi de persona coadiuctoris, (nam cognomen, & appellitus Cebrian, est nomen verè, & realiter significans Perisanz ex consuetudine Ecclesiæ, qui cum proprio nomine agat, sub dicto appellitu Cebrian, vt patet, in heddomadis, ad quas faciendas, persona Cebrian est incapax ex deffectu ordinis presbyteratus, & alias ex infirmitate) non est cur eodem modo officia præstare non possit, ex quæstione de nomine, non reali, sed amfibologico, & sic nihil concludit contra istam partem, maximè cum Perisanz habeat specificam concessionem officiorum per illam clausulam *Officijs*, in Bulla appositam, vt dictum est.

Vlterius non obstat obiectio, & probatur. Officium speciale quod requirit maiorem industriam, est præsidentia Capituli, quod specialiter pertinet ad Decanum, tanquam caput Capituli, & in eius absentia, ad Dignitatem, siue Canonicum subsequentem, ex Bulla secularitatis, ex statuto & praxi; sed coadiutores habent possessionem præsidendi, regulandi, & resoluendi in Capitulo, in casu absentiæ præcedentium: ergo multo melius sunt concedenda officia, de quibus est data ratio dubitandi coadiutoribus, nam à maiori, ad minus concludit argumentum, maior est certa, minor vero probatur, (non solum de Capitu-

lo,

lo, verum de aliis requirentibus præsidem, vt facerē computa, & legitimare illa, quæ pertinent ad diuersas administrationes Capituli) ex Canonicali 4. *Octobris* 1646. & ex cōmuni 20. Martij, etiā 1646. in quibus dominus Martel coadiutor præfuit cōputis, & firmauit illa vti præses, de gestis Capituli 14. *Iunij* 1647. & 18. *Iunij etiā* 1647. in quibus etiā præfuit ipse coadiutor: ergo Capitulares habiles, & eligibiles sunt ad officia ex praxi Ecclesiæ: ergo in casu proposito non sunt deneganda coadiutori, maxime cum persona præsidis sit specialiter electa, vt ex Bulla secularitatis, & statuto patet.

Nec obstat quod dicitur ex Barbosa, coadiuctorem non posse gaudere pribilegio coniudicum, & adiuctorum, Delegati, Comissarij, Iudicis Apostolici, & Synodalis.

Nam contrarium, vt verius tenet Castro Palao vbi sup. *num.* 20. ob rationem superius dictam, quod omnia quæ competunt coadiucto censentur concessa coadiuctori, per clausulas gratiæ coadiuctoriæ ratione Canonicatus, & Præbendæ, ac per ea, vt supradictū est, ex doctrina Felini, fit de capitulo; atq; omnibus de capitulo hoc priuilegium concessum est, vt constat ex Trid. *sess. 6. cap.* 4. de reformat. & *sess.* 25. cap. 6. de reformat: ergo coadiuctores gaudent pribilegio adiunctorum. Tum quia coadiuctus seclusis Canonicatu, & Præbenda non habet illos: ergo veniunt illi a Canonicatu, & Præbenda; sed omnia, quæ hac ratione competunt coadiucto tribuuntur coadiuctori: ergo, ex hac eadem ratione habet coadiuctor adiunctos, & quod idem dicendum sit de Delegato, Comissario, Iudice Apost. & Synodali tenet Castro Palao vbi suppra *num.* 39. cum Acosta, & Andrada, *in explicat. Bullæ Cruciatæ quæst.* 75.

Denique probatur, quod coadiutor est eligibilis, & quod allegata in contrarium non obstant, nam in illis loquuntur Doctores de coadiuctorijs concessis secundum dispositiones regulares iuris, sed hæc (de qua in præsenti) habet clausulam specialem officijs, quæ in nulla formula (ex relatis à Garcia, Gonzalez, Barbosa, Castro Palao, & alijs) ad inuenitur, vt dictum est: ergo ex allegatis, in istam nihil potest efficaciter dici, cum eadem species facti probari non possit. Crabeta *cons.* 96. *num.* 4. *vers. circa.* 2. Gabriel *cons.* 156. *num.* 10. *vers. quia consuetu-*

tudo

tudo lib. 2, Cesar. de Graffis *decis*. 117. *vers*. 4: *vnde cum iste*. Et sic habetur, in vna Tirasonen. 27. *Octobris* 1600. apud Peña, in relatis à nostro Frances, *decis*. 856. *num*. 11. Ex quibus deducitur, quod facta patent, & non facta latent: ergo cum pateat de concessione officiorum, per clausulam *Officijs*, specialem non sunt deneganda coadiuctori, per ea quæ latent, & non apparent secus ab inferioribus frustraretur gratia specialis superioris, quod substineri non potest, *cap. inferior de maiorit. Et clementina ne Ramoni de electione*, alias inferior esset ipso superiori superior, sic Garcia *dist*. 4. *p*. *cap*. 5. *num*. 154.

Ad vltimum quod dicitur. Ad interpretauionem statuti (casu quo illa egeret) recurrendum esse ad obseruantiam in huiusmodi casibus subsecutam nihil concludit contra istam partem.

Nam respondetur, quod magnam agredimur prouintiam, si ad obseruantiam statutorum recurrimus, nam si vera loquendi sunt quæstio est formidabilis, & sic illam ommito.

Ad casum de quo in præsenti respondetur nullam obseruantiam asignari posse contra hanc partem, nam secundum philosophum, non entium non sunt actiones, & casus ommissi nequit dari obseruantia, quia cum sit facultatiuum eligi, vel non eligi coadiutorem ad officia, debet dari casus electionis, & repulsionis eiusdem, ex actibus enim allegatis, & nõ probatis, aliquid deduci, vel concludi non potest, ex quibus omnibus videtur dicendum, coadiutorem esse capacem, & habilem ad officia cum de concessione speciali illorum constet, quo iure vtens nullam introducet nouitatem, quo manet responsum ad authoritatem de Baleuzuela, *de nouitate non facile introducenda*. Sic sencio salba censura illustrisimi Capituli, quod Deus optimus maximus semper seruet in columme.

Doctor Ioannes Gaspar de Perisanz,
Canonicus Coadiutor.